



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

Placitum Hieron. Onuphrij de Horis Canonicis: An mutatio Officij sit lethalis, aut venialis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

PLACITVM  
ADM. R. P.  
FR. HIERONYMI  
ONVPHRII ROM.

Theologi Collegiati, & publici Lectoris in sacris  
Litteris in Bononiensi Archigymnasio,

*In disputata dubitatione de recitandis Horis Canonicis.*

D V B I V M.

An non seruare modum præscriptum in recitandis Horis  
Canonicis in Breuiario nouo Pij V. sit peccatum  
mortale, an veniale.

*Declaratur titulus dubitationis.*



STO, Clericus, qui sit obligatus ad recitandum diuinum Officium, & hic pro sua voluntate & beneplacito recitet de Feria, cùm teneretur, ex præscripto Pij V. recitare de aliquo Sancto; & è contra, cùm teneretur recitare de Feria, recitet de Sancto; & item, cùm de vno Sancto, recitet de alio: idque absque cõtemptu saltem explicito; sed solùm, quia ita sibi videtur, idque toties facit, quoties sibi expedire videtur, vt solam propriam voluntatem in recitandis Horis Canonicis sibi regulam constituat: quæritur, inquam, an hic

Clericus sic recitando diuinum Officium peccet mortaliter, an venialiter.

Principio qui scripserunt de hoc dubio tum Theologi, tum Canonistæ, tum Summistæ, sunt *Maior in 4. d. 12. quæst. 6. Caiet. in Summa verbo Hora cap. 2. Sotus lib. 10. de Iustitia & Iure quæst. 5. art. 4. Azorius l. 10. de Instit. moral. cap. 10. dubio 2. Pet. de Aragona in 2. 2. D. Thoma, quæst. 83. de Orat. art. 12. dubio 5. princip. Viguer. in suis Institut. de Virtute iustitia cap. 5. v. 4. Nauar. de Oratione & Horis Canonicis cap. 21. num. 25. Emanuel Rodriguez in Summa cas. conf. cap. 142. num. 3. Tolet. lib. 2. Instruct. Sacerd. cap. 13. num. 5. Cosmas Philarchus*

Tt

liarchus lib. 1. de Horis Canonis c. 6. Leonard. Lessius lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 37. dubio 12. num. 77. Iacob. de Grassis lib. 2. Cas. conscient. c. 52. num. 116. Ioan. Medin. cod. de Orat. tract. 6. q. 16. S. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 2. Tabiena v. Hora Canonica num. 17. Armilla eodem v. num. 6. Siluest. eod. v. num. 15. Angel. eodem v. num. 4. Rosella eod. verbo num. 13. Valentia 3. tomo disput. 6. quest. 2. puncto 10. Suarius 2. tomo de Relig. lib. 4. cap. 23. a num. 11. Garcia tract. de Benefic. 1. tomo par. 3. cap. 1. num. 163. Paulus Squillantes tract. de Obligat. Clericorum par. 1. a num. 50. Pro solutione autem nonnulla nobis sunt præmittenda.

Igitur NOTANDVM est PRIMO, ex communi Theologorum sententia iam obtentum esse, optimè distingui in qualibet virtute, vt etiam in alijs, substantiam à modo eiusdem. Sic communiter docent Theologi, tum præcipuè secuti D. Thomam in par. 2. questione 109. artic. 3. Hac eadem ratione nobis videtur illa duo posse distingui in ipso diuino Officio, vt alia sit substantia illius à modo eiusdem: quam distinctionem optimè & non obscure insinuarunt Sorius lib. 10. de Iustitia & Iure quest. 5. artic. 4. Tolet. sup. lib. 2. cap. 11. Nauar. de Oratione & Horis Canonis cap. 21. num. 22. Tabiena supra num. 16. Io. Medina C. de Oratione tract. 6. cap. 16. §. De 2. Quamquam hi non eodem modo distinguunt illa duo in diuino Officio: nam alij faciunt substantiam Officij diuini ipsum totum diuinum Officiu, tam diurnam quam nocturnum, vel ipsas septem Horas Canonicas vt sic; modum verò illum, quo septem Horarum quotidie ex præscripto Iuris Canonici

recitantur. Alij substantiam diuini Officij faciunt per solutionem alicuius orationis & debitæ pensionis pro beneficio à Deo accepto; modum verò faciunt distributionem illius debitæ pensionis in septem Horas, iuxta illud Dauidis: *Septies in die laudem dixi tibi, &c.* Alij alio modo. Sed de hoc nihil ad præsentem difficultatem; cui pro nunc satis est, illa duo, scilicet substantiam & modum, distingui in diuino Officio.

Hoc igitur posito, non est quæstio hoc loco de ipsa diuini Officij substantia quocumque modo accepta; nam certum est in omnium sententia, omnes Clericos (loquor autem semper de ijs qui aliquo titulo sunt obligati ad diuinum Officiu recitandum) teneri ad recitandum diuinum Officiu, saltem quoad substantiam, sub peccato mortali, vt patet ex c. 1. de Celebratione Missarum, & cap. Dolentes. eodem tit. ex cap. Eleutherius. Dist. 91. cap. fin. Dist. 92. & docent passim citati Doctores, Medina sup. quest. 17. Cosmas Philiarcho item supra cap. 6. conclus. 1. Nauar. in Manuali cap. 25. num. 122. & de Horis Canon. cap. 7. num. 5. Antoninus sup. §. 4. Tolet. c. 12. num. 4. Viguierius cap. 5. v. 4. Lessius cap. 37. dubio 9. num. 52. & alij communiter: sed sola difficultas est de modo seruando in diuino Officio recitando; An, stante Constitutione Pij V. de qua infra, teneantur Clerici ad illum seruandum sub peccato mortali, an verò sub veniali, pro quo

NOTANDVM SECUNDO, Nos hic sub nomine modi dicendi diuinum Officiu intelligere & complecti cum Tolet. supra cap. 13. & alijs communiter, ea omnia quæ accidunt diuino Officio vt sic, & sunt numero sex, Numerus,

merus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus, Modus. Sicut nomine substantiæ eiusdem, vt est supra dictum, intelligimus vel ipsum diuinum Officium nocturnum & diurnum distributum in septem Horas Canonicas; vel orationem debitam Deo, quatenus est quædam certa pensio diuini cultus, debita ab ijs præcipuè qui in sortem Domini dicuntur electi, pro qua in sustentationem recipiunt patrimonium Christi, *ex cap. 1. de Celebrat. Missarum*: & quidè ex hac parte, diuinum Officium, scilicet vt dicit certam hanc pensionem diuini cultus, nõ videntur malè locuti, qui faciunt ex Iure diuino simpliciter, vt habet *Tabiena supra num. 16* aut ex Iure naturali & diuino simul, vt habent *Sotus supra, Iacob. de Grassiis sup. cap. 49. num. 9.* Si verò accipiatur diuinum Officium, vt dicit septem Horas Canonicas, tunc benè sunt locuti alij Doctores, cum dixerint, tunc diuinum Officium esse ex naturali & diuino Iure, & immemorabili consuetudine Ecclesiæ, vt doctè tradit *Nauarr. de Horis Canon. cap. 7. num. 2. & Cosm. Philarc. sup. lib. 2. cap. 2.* vnde facillè concedi potest ijs Auctoribus, quos iam iam asseremus, in eo sensu, quo diuinum Officium dicit voluntariam & indeterminatam pensionem Deo debitam, non posse Clericos, neque etiam per Papam, liberari ab huiusmodi obligatione recitandi hoc modo sumptum diuinum Officium. Sic *Angelus supra num. 6. Rosella nu. 13. Siluester num. 17.* & acceperunt à Pannonitano in *cap. 1. de Celebrat. Missarum*, quidquid dixerint *Petrus de Aragona sup. post ultimam conclusionem, & Toletus cap. 14. num. 6.* Et ratio huius sic potest, quòd scilicet ex

hac parte Officium diuinum est indispensabile, cum sit ex recta ratione & Iure naturali præscriptum, quatenus scilicet, sicut vnusquisque ex iustitia naturali tenetur ei aliquid impendere à quo habuit beneficium, vnde recipit suos pronentus: sic Deo tenetur ille aliquod diuinum Officium vel aliquam orationem persoluere, vt illi quoquo modo satisfaciatur pro fructibus receptis ex beneficio, si hoc habeat, aut pro beneficio Ordinis sacri habito, aut etiam pro alijs causis, vt multis tradit *Tabiena sup. num. 16.* Ex altera verò parte, scilicet quoad illas circumstantias, est diuinum Officium de Iure Ecclesiastico, vt habent *Sotus, Iacobus de Grassiis vbi sup. Rodriguez nu. 2. Nauarr. de Horis Canonicis à num. 22. & ibidem cap. 11. num. 31.* & sic diuinum Officium est dispensabile, vt ibidem inter alios tradunt *Tabiena, Petrus de Aragona, & Tolet. sup.* & hinc est, vt non vnus apud omnes Ecclesias fuerit modus recitandi diuinum Officium. Non disputabimus autem hic de his omnibus circumstantijs, an omnes obligant ad sui obseruationem sub peccato mortali (certum enim est, non omnium eandem esse obligationem ad peccatum mortale) sed solum disputabimus de modo Officij recitandi ac ratione psallendi, an scilicet teneatur Clericus in recitando Officio obseruare & sequi ritum & modum præscriptum à Pio V. in Breuiario Romano, ita vt, nisi talem obseruet modum, peccet mortaliter.

NOTANDVM TERTIO, *ex Caietano 2. 2. quest. 186. artic. 9. & in Summa v. Præceptum. & alijs Auctoribus*, ex tribus potissimum colligi posse, legem aliquam obligare ad sui obseruationem sub peccato mortali; primò, ex

Tt 2 materia

materia quæ imperatur per legem; secundò, ex verbis quæ in ipsa lege ponuntur; tertio, ex pœnis quæ lege irrogantur.

Et Primò quidem ex materia: nam re vera non solum requiritur intentio legislatoris obligandi subditos per suam legem ad peccatum mortale; sed etiam præterea requiritur, ut materia ipsa, quæ præcipitur, sit grauis, id est tanta, ut sufficiat ad obligationem peccati mortalis. Quæ duo ita sunt necessaria, ex communi omnium sententia, ut si alterum desit, numquam sit intelligenda talis lex obligatoria ad huiusmodi peccatum. Dicitur autem materia leuis, vel grauis, aut etiam parua, ex relatione quam habet ad commune bonum. Si enim præcipiatur aliquid quod spectet ad illud, certè materia dicenda erit grauis; secùs, si agatur de bono aliquo particulari (nisi tamen illud bonum particulare sit cõtra ius naturale, leges diuinas, aut alia huiusmodi, tunc enim quæ est ratio de bono communi, eadem etiam esset de illis bonis particularibus.) Verbi gratia, si tempore famis lege cogantur diuites vendere sua frumenta, si plura habeant, iusto pretio, certè ipsi tenentur parere legi sub peccato mortali, etiam si alijs temporibus nemo ut sic cogatur res suas vendere. Item, faciente peste lege coguntur Medici sub eodem peccato insistere labori, cum tamen extra talem necessitatem ad id non obligentur: & sic de alijs, in quibus videtur vrgere ratio boni communis, ut, nisi subditi fecerint quod lege Principis præceptum est, peccent mortaliter.

Secundò colligitur talis obligatio ex verbis appositis in ipsa lege; & in Iure quidem Canonico (de hoc enim

disputamus) ut videre est in Constitutionibus Pontificijs, non eadem reperiuntur verba præceptoria, neque eodem modo obligatoria, ut, verbi gratia, illa verba, *Decernimus, Statuimus, innovamus, volumus, intendimus*, quibus, si nihil præterea addatur, certè non præ se ferunt obligationem aliquam ad culpam lethalem; alia verò verba, *Præcipimus, & prohibemus*, ex mea quidem sententia, semper afferre secum videntur obligationem ad mortale, quidquid dixerit Caietanus, qui visus est dixisse, illa duo verba, *Præcipimus & prohibemus*, præ se ferre quidem semper aliquam obligationem, non tamen mortalem; sed sine villo fundamento. Item ex *Clementina Exiui, de Verbor. signific.* habentur duo alia verba ad idem obligatoria, scilicet, *debet, & tenetur*, quidquid etiam renuerit Caietan. sed immerito: quia si diligenter inspiciamus dictam Clementinam, videbimus, Pontificem vti illis duobus verbis, *debet & tenetur*, dum intendit ostendere hanc lethalem obligationem. Item, si apponantur in Constitutione illa alia verba, *In virtute sanctæ Obedientiæ, sub pœna præscripti iuramenti, sub incursu indignationis præpotentis Dei, & Apostolorum Petri & Pauli, stricte omnino præcipimus, vel iubemus*, aut alia huiusmodi verba obligatoria, eandem vim habere videntur.

Tertio, & demum, colligitur huiusmodi obligatio ad lethale peccatum ex pœnis quæ infliguntur in ipsa Constitutione, ut excommunicationis, suspensionis, interdicti, maledictionis, indignationis præpotentis Dei, perpetui carceris, amissionis bonorum, & similibus; quæ cum sint quædam pœnæ grauiore, numquam intelliguntur

tur infligat, nisi ex culpa grauiori, quæ solùm est lethalis, ex communi omnium sententia.

NOTANDVM VLTIMO, quoniam hoc totum negotium præsentis difficultatis pendere videtur ex intelligentia Constitutionis vltimò editæ, præcipuè à Pio V. & quæ descripta est initio Breuiarij Romani moderni, in qua fuit præscripta forma & modus recitandi diuinum Officium: vtrum in ea ita præscribatur talis forma & modus recitandi illud, vt satis appareat, contra facientes peccaturos mortaliter, si consulto illum modum præscriptum & definitum non obseruaerint; vt propterea operæ pretium videatur hic afferre Constitutionem ipsam de verbo ad verbum, saltem quoad eam partem quæ facit ad præsentem difficultatem. Itaque post multa Pius V. quæ iam dixerat in illa sua Constitutione, quæ incipit, *Quod à nobis*, &c. quibus ostenderat, quare talem condiderit Constitutionem; & post multa, quibus declarauerat, à se abolitum omne & quodcumque aliud Breuiarium, tandem ait: *Omni itaque alio vsu quibuslibet, vt dictum est, interdicto, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi psallendique formulam in omnibus vniuersi orbis Ecclesijs, Monasterijs, Ordinibus, & locis etiam exemptis, in quibus Officium ex more & ritu dicta Romana Ecclesia dici debet, aut consuevit, salua prædicta institutione, vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus obseruari: Statuentes Breuiarium ipsum nullo vquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse: ac quoscumque, qui Horas Canonicas ex more & ritu ipsius Romana Ecclesie, iure vel*

*consuetudine dicere vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui diuinum Officium QVOTIDIE non dixerint, ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas & nocturnas, ex huius Romani Breuiarij præscripto & ratione omnino teneri: neminemque ex ijs, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Iubemus, &c.* Hæc Papa. Ex qua Constitutione multa ad rem nostram colliguntur.

Et Primò quidem colligitur, in illa Constitutione tria intendi à Papa; primò, funditus euertere ac tollere quacumque alia Breuiaria, quæ ante dictam Constitutionem circumferebantur; secundò, præscribere vnum certum Breuiarium, quod in omnium manibus in posterum esset, & ab omnibus recitaretur; tertio, præscribere certum quemdam modum ab omnibus seruandum in recitatione eiusdem Breuiarij. Non loquor hic de Breuiarijs quæ conceduntur à Papa in illa Bulla. Primum patet ex illis verbis eiusdem Constitutionis, cum dicitur, *omni itaque alio vsu, &c.* secundum verò patet ex alijs verbis, cum dicitur, *hoc nostrum Breuiarium, &c.* tertium denique, cum dicitur, *precandi psallendique formulam.*

Secundò colligitur ex eadem Constitutione, distinctionem illam in primo notabili à nobis assignatam, de substantia & modo in ipso Breuiario, non esse emendicatum & confictam: nam quòd in ipso diuino Officio sit sua substantia, patet ex illis verbis Bullæ, cum dicitur, *hoc nostrum Breuiarium, &c.* & infra, cum dicitur, *QVOTIDIE non dixerint Horas ipsas*

*fas diurnas & Nocturnas*, &c. quòd verò sit modus, habetur etiam in eadem Bulla, cùm dicitur, *precandi psallendique formulam*. & infra, cùm dicitur, *ex huius Romani Breuiarij præscripto & ratione*, &c. Ex quibus clarè patet, quid sit substantia diuini Officij, & quis sit modus & ratio eiusdem, & quomodo illa duo inter se distinguantur.

Tertiò colligitur ex eadem Constitutione, non solum à Papa præscribi certum Breuiarium, sed etiam certum modum in ipso Breuiario obseruandum, & vtrumque sub eadem ratione præcipi, vt patet ex ijs verbis, cùm dicitur, *Omni itaque alio vsu interdito, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi psallendique formulam*, &c. & infra: *Ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas & nocturnas, ex huius Romani Breuiarij præscripto & ratione omnino teneri*. En substantia & modus in Breuiario seruandus, &c.

Quartò colligitur, quibus verbis vtatur Papa in sua dicta Constitutione ad id præcipiendum & præscribendum: *Præcipimus obseruari; Propositis pœnis per Canonicas sanctiones; Statuentes omnino teneri; Ex more & ritu Romana Ecclesia psallere debent; Inhibemus vt procurent*, &c.

Vltimò colligitur, rem grauem tractari in dicta Constitutione, vt patet ex illis verbis, cùm dicitur sub initio: *Hanc nimirum orandi varietatem grauissimè ferens*, &c. Et paulò antè: *Quin etiam in Prouincias paulatim irrepserat praua illa consuetudo*. & post nonnulla: *Priuatim sibi quisque Breuiarium conficerent, & illam communionem, vni Deo, vna & eadem formula*, &c. Ex quibus satis patet, quæ ia-

commoda potuerint mouere Papam ad tantam rem determinandam. His igitur tandem præmissis, ad sententias, quas hac in re reperire potui, veniendum est. Sit ergo

Prima sententia eorum, qui asserunt, inuertere Officium diuinum quoad modum & formam, & recitare vnum pro alio sine causa rationabili, esse quidem graue peccatum; non tamen explicant, an sit veniale, vel mortale. *Sic Tabiena supra num. 17. Viguerius item vbi supra v. 4.*

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, sic inuertere diuinum Officium esse quidem peccatum, non mortale, sed veniale. *Ita Maior in 4. vbi sup. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 2. & clarius §. 4. dubio 5. Siluester verbo Hora. num. 15. Caiet. in Sum. ibidem cap. 2. Sorius lib. 10. de Iustitia & Iure art. 4. Armilla eodem verbo num. 7. Azorius lib. 10. Instit. moral. cap. 10. dub. 2. vbi dicit hanc esse communem, Valentia in 3. tomo disp. 3. vbi sup. Leonardus Lessius lib. 2. de Instit. & Iure dub. 12. num. 77. Iacob. de Graff. sup. cap. 52. num. 18.* Fundamentum commune ferè omnium est; quia ponunt, quòd, dicere hoc vel illud Officium, non sit in præcepto: quare neque transgressio erit contra aliquod præceptum, & consequenter neque erit peccatum lethale, &c.

Addit Lessius *sup. loco citato*, quia, inquit, id quod Ecclesia primario præcipit, est tantum, vt septem Horæ Canonicae quotidie recitentur: quod verò deinde dicatur de hoc vel illo Festo, seruetur hæc vel illa forma, ait id solum pertinere ad modum & quamdam circumstantiam secundariam Officij diuini, quæ cùm non sit tanti momenti, non obligabit ad quod mortale

tale peccatum, sed solum ad veniale; nam, inquit, substantia præcepti seruatur, quodcumque Officium Breuiarij concessi dicatur. Neque vllum aliud est fundamētum huius rei, quod sciam, etiamsi multum laborauerim, vt si quid aliud esset, reperirem.

Tertia sententia est eorum, qui affirmant, non seruare ordinem præscriptum vt supra in recitando Officio diuino, esse peccatum mortale. Ita Angelus verbo Hora Canon. nu. 4. Nauarrus de Oratione & Horis Canonicis sup. num. 25. Toletus vbi supra cap. 15. num. 15. Emanuel Rodriguez sup. cap. 142. de voce, num. 3. Suarez in 2. tomo de Relig. sup. Garcia tract. de Benef. sup. Paulus Squillantes vbi sup. Petrus de Aragona sup. dubio suo quinto principali, Cosmas Philarchus item vbi supra lib. 5. cap. 6. Fundamentum est, quia non solum substantia, sed etiam modus & forma diuini Officij cadunt sub præcepto, quamquam non eodem modo. Prorsus ergo non obedire tali præcepto, erit peccatum mortale. Hæc sequela infra ex dicendis patebit; interim ad Conclusiones veniamus.

PRIMA CONCLUSIO. Inuerrere aliquando ex causa rationabili præscriptum modum ac rationem in recitandis Horis diuinis à Pio V. non crediderim esse aliquod peccatum. Hanc Conclusionem tenuit Iacobus de Grassis supra num. 18. & Cosmas Philarchus cap. 6. Et patet, quia aliqua actio mala, quæ tamen non sit intrinsecè mala, sed solum ex præscripto humano, potest cohonestari ex aliquo motiuo, circumstantia, & sine bono, vt patet in multis casibus: ergo, etiam si inuerrere præscriptum ordinem à Pio V. in recitando diuino Officio sit

actio vt sic mala, quippe quæ est contra præceptum & præscriptum Pontificis; tamen ex aliquo motiuo & circumstantia ita potest cohonestari, vt nullum sit peccatum. Vt, verbi gratia, si quis Clericus in Sacris recitaret Officium de Sancto, cum teneretur recitare de Feria, quia longum & necessarium sibi iter illo die conficiendum esset; haberet autem Psalmos de eo Sancto ferè ad memoriam, certè excusaretur: aut etiamsi ex aliquo pio affectu in Sanctum qui tali die occurreret, vellet de eodem recitare Officium, omissa Feria; certè ego non video, quare ex eo honesto titulo non posset excusari ab omni peccato, & sic in similibus casibus. Non probatur autem nobis ratio, qua prædictam Conclusionem probat Iac. de Grassis loco citato sup. nam quod ille, qui sic recitat, nullo peccato peccet, asserit oriri ex eo, quia qualitas Officij non est in præcepto: non placet, inquam, quod, vt infra ostendemus, qualitas Officij diuini est in præcepto; ergo ex hoc capite non excusatur à peccato, quin potiùs ex eo intelligimus illum peccasse.

SECUNDA CONCLUSIO. Inuerrere ordinem Officij diuini vt supra, etiam consultò, & sine rationabili causa, extra tamen omnem contemptum, saltem explicitum, bis vel etiam ter, non videtur mihi peccatum mortale. Habent hanc Conclusionem Nauarrus, Rodriguez, de Aragona, Grassus locis citatis, & est communis. Et probari potest, quia paruitas rei in quacunque materia solet excusare à peccato (loquor autem semper de ijs quæ ex se non sunt mala) sed solum quia præcepta, vt post S. Thom. 1. 2. quæst. 88. artic. 5. & 6. & 2. 2. quæst. 3. artic. 4.

S. An-



*S. Antonin. 2. par. tit. 4. cap. 5. §. 7. & 8. Adrian. quodlibeto 8. & alios, optimè docuit Navar. tum in Repetitorio cap. Inter verba. 11. quest. 3. tum in Sum. cap. 11. num. 4.* ergo, etiam si quis bis vel ter cōtraueniret huic præcepto, quia id existimari potest parum, morali quadam æstimatione excusari potest à peccato mortali: & ratio est, quia malitia mortalis in prædicto casu non potest peti ex aliquo alio capite, quia ille ut sic non posset dici nisi materialiter inobediens, & item non nisi materialiter contemptor præcepti; cum tamen utrumque aut formaliter aut virtualiter requiratur, ut malitia sit mortalis. Sed

Dices: Si contemnere talem modum præscriptum & præceptum à Papa, aliquando est peccatum mortale, ut dicemus; ergo semper erit peccatum mortale; ergo etiam qui semel cōtrafaciet tali præcepto, peccabit mortaliter: neque enim videtur maior ratio vnus quàm alterius; ergo aut nunquam aut semper erit tale peccatum.

Resp. negando sequelam. Nam, ut dictum est, ut malitia sit lethalis in ijs quæ fiunt contra præcepta Ecclesiastica, debet esse intentio aliqua aut formalis aut saltem virtualis contrafaciendi præcepto Ecclesiastico: quæ tamen intentio ut sic, nunquam moraliter interpretatur esse, nisi post aliquos actus perfectos & consummatos. Quare non est mirum, si ille qui primo, secundo, vel etiam tertio contrafacit, non peccet saltem mortaliter; peccare autem intelligatur ille idem, si quarto, quinto, & sic deinceps non obediret: nam tunc intelligitur & præsumitur incipere contemptus & inobedientia, saltem virtualis, sufficiens ad culpam mortalem. Quare sit

**TERTIA CONCLUSIO.** Ex inaduertentia, non tamen affectata, si bis recitaret vnum Officium pro alio quod recitare deberet, posset peccare venialiter, vel etiam nullo modo peccare. Hanc inter alios docent *Philarchus sup. cap. 6. conclusione 2. lac. de Graff. num. 18.* Patet autem Conclusio, quòd inaduertentia tollit actum voluntarium, ex *D. Thom. p. 2. q. 6. art. 8. & sequitur Caietan. ibi;* sine quo nunquam erit peccatum, ex *textum cap. primum, 15. quest. 1.* ergo quis ex inaduertentia inuertens talem ordinem excusatur à peccato, aut saltem à tanto, licet non à toto. Dixi, Nisi sit affectata talis inaduertentia: nam ut sic certè delinquens à peccato non excusaretur, ut habet *D. Thom. par. 2. q. 76. articulo 3.*

**ULTIMA CONCLUSIO.** Inuerrere modum, formam & ordinem præscriptum in nouo Breuiario Romano à Pio V. ad libitum, vel etiam in fraudem, ut si sit faciendum de Feria, fiat de Sancto, & è contra, idque pluries, censeo omnino esse peccatum mortale. Habent hanc sententiam Doctores supracitati in tertia sententia, & patet argumento, cui non videtur posse satisfieri, nisi fingantur commenta & tergiversationes; & deducitur ex ijs quæ præmissimus, & est: quis quotiescumque quis subditus facit contra præceptum sui Superioris habentis iurisdictionem non impeditam, ac volentis huiusmodi præcepto subditos obligare in re graui, certè ille peccabit mortaliter. Sed in casu nostro, Clerici obligati ex aliquo titulo ad recitandum diuinum Officium faciunt contra præceptum Pij V. intendentis, & volentis illos obligare ad obediendum sub peccato mortali; ergo. Maior supponitur

supponitur vera. Minor patet, quia ex triplici capite, ut supra præsuppositum est, colligi potest, quæ sit intentio Superioris in suis legibus, in ordine ad obligandos subditos ad obediendum sub lethali culpa, ex materia scilicet de qua agit Superior; ex verbis quibus utitur in præcipiendo quod intendit; & ex pœnis quas infligit contra inobedientes: sed hæc tria habemus in prædicta Constitutione Pij V. qua præcipit ac præscribit diuinum Officium; ergo præceptum, quod in ea continetur, erit ad mortale. Quod verò illa tria reperiantur, facillè patet. Et

Primò, quod attinet ad materiam, de qua agit Pontifex in dicta Constitutione, apertè colligitur, illam esse grauem; sic enim habet Pontifex in illa: *Hanc orandi varietatem grauissimè ferens.* Certè illud Aduerbiium superlatiuum *grauissimè* ostendit rei grauitatem, de qua ibi tractat Papa, ut fateatur se illa grauissimè premi. Et quidem potuit iure optimo Papa id dixisse. Quia enim, sublata vnione in recitandis Horis diuinis (quæ tamen maximè in Ecclesia Dei seruari debet) periculum erat in mora, ne animorum Christi fidelium vnitas scinderetur, & ut ait *Aragona sup. dubio quinto*, ne schismatis causa & anfa fragilibus daretur; idèd Papa ibidem multùm ait se in eo elaborare, quantum fieri possit, ut saltem maiori ex parte illa vnitas reddatur Ecclesie Dei: id quod optimè declarauit instituendo, ordinando, præcipiendo ac præscribendo certum psallendi modum in Dei Ecclesia. Quare meritò Papa asseriuit, se grauissimè ferre illam varietatem in recitandis Horis Canonicis; ut scilicet sic ostenderet, quanta

res sit, quam ipse præciperet. Et hæc de materia.

Secundò, quod attinet ad verba, quibus utitur Papa in prædicta Constitutione, illa talia sunt, ut benè possit dignosci, quæ fuerit eius intentio, obligandi scilicet contra facientes & inobedientes ad tantum peccatum. His enim verbis utitur Papa in ea Constitutione, *Præcipimus obseruari, Propositis pœnis per Canonicas sanctiones; Statuentes omnino teneri; Iubemus ut procurent, &c.* Prætereà illud Aduerbiium *omnino*, cum suo Verbo, scilicet *teneri*, satis declarat omnimodam Papæ voluntatem, ut quæ iubentur seruentur, ut omittam alia verba huiusmodi: quæ si diligenter attendantur, sine dubio ita euidenter ostendunt huiusmodi obligationem ad peccatum lethale, ut omnino contrarium asserere, extra rationem videatur.

Tertiò, quod attinet ad pœnas inflictas in ea Constitutione, etiam si Papa eas non apponat nouas, adhuc iam tamen latas comprobatur, ac ratas habet; easque etiam extendit non solum contra eos qui vsi sint Breuiario veteri, & non nouo à se determinato, sed etiam contra eos, qui prædictum Officium secundum assignatum modum, formam ac rationem non recitauerint. Quare mihi certum viderur, illas pœnas, quæ contrahuntur à non recitantibus diuinum Officium, contrahi etiam à non recitantibus secundum modum & formam præscriptam in eadem Constitutione, ut patet ex verbis ibidem positis, sic enim habet Papa: *Statuentes Breuiarium ipsam nullo vnquam tempore, &c.* & post nonnulla sic habet: *Ac quoscumque, qui Horas Canonicas, &c. vsque ad illa verba, nisi hac sola formula satisfacere possent,*

posse, &c. Ex quibus clarè patet, pœnas iam inflictas à Canonibus contra non recitantes *quotidie* diuinum Officium, intelligi etiam inflictas contra eos, qui non seruant in eo recitando præscriptum modum à Papa. Quæ autem sint huiusmodi pœnæ, & quàm graues, legantur *Conarunia lib. V. riar. resolut. 3. num. 10. Nauar. tum de Oratione & Horis Canonicis cap. 7. num. 6. tum in Manuali cap. 25. n. 122. Cosmas Philarchus sup. cap. 12. Rodriguez sup. c. 146. Iacob. de Grassis lib. 2. cap. 150.*

Ex quorum doctrina satis apertè colligitur, præter culpam mortalem, quam contrahunt non recitantes debitum diuinum Officium *quotidie*, contrahere etiam aliam obligationem restituendi fructus pro debita portione: & colligitur ex Extrauagati Pij V. quæ refertur per *Nauar. in Sum. c. 25. num. 122.* vt alia omittam Concilia, cum id ad præsentem difficultatem non faciat, &c. An autem hæc pœna restituendi fructus perceptos à non recitantibus sic diuinum Officium sit grauis, an leuis, dicant, qui premuntur hoc onere restituendi. Nulla enim res iam reperitur apud mortales, qua magis vexentur, quàm illa in qua reperitur ratio accepti & dati, præsertim verò cum de restituendo agitur. Dicant Confessarij, dicant alij quicumque, quibus huiusmodi negotia aliquando data ac demandata sunt, vel ipsa experientia docet, vt omne aliud negotium facilius aggrediantur quàm hoc, in quo agendum sit de alieno restituendo. Cum igitur in casu nostro & materia sit grauis, & verba, quibus vitur Papa, maximè vrgeant, & prætereà reperiantur suæ pœnæ, eaque grauiore; reuerà omnino concluden-

dum videtur, eam fuisse intentionem ac mentem Pontificis Pij V. vt scilicet obligaret transgressores ad peccatum lethale, quod à nobis erat probandum.

Confirmatur ex *Nauar. de Oratione & Horis Canonicis num. 27.* non parere præceptis Ecclesiasticis in re graui, mortiferum peccatum est; ergo & in re nostra, quæ est res grauis, vt probatum est, non obedire Papæ, erit mortale.

Confirmatur secundo ex *D. Thom. quest. 83. artic. 4.* peccatum veniale non consistit in non adimplendo præcepta, neque in transgrediendo præcepta, quia in hoc consistit peccatum mortale: sed qui non dicit Officium diuinum secundum præscriptum à Papa, non adimplet præceptum eius, idque transgreditur; ergo peccare dicens est mortaliter, non venialiter.

Patet secundo eadem Conclusio. Tollere vnitatem Ecclesiæ, est sine dubio peccatum lethale, contra Ius diuinum atque Ecclesiasticas traditiones, vt alibi dictum est; ergo etiam tollere talem vnitatem in Ecclesiâ, erit etiam peccatum mortale. Patet Sequela, quia quotiescumque aliqua actio est mala secundum se, semper est talis; ergo, si tollere vnitatem Ecclesiæ semper est malum, etiam tollere talem vnitatem erit malum, & consequenter peccatum mortale: sed nolle assentiri & obedire præcepto Ecclesiastico ac præscripto Papæ, quo ipse vult vnitatem in recitandis Officijs diuinis, & si non explicitè, implicitè tamen, & virtute, est nolle talem vnitatem Ecclesiæ à Papa præscriptam; ergo, &c. Quòd autem vnitatis in Officijs recitandis sit necessaria, præter dictam Constitutionem Pij V. habet etiam Concilium Tolentanum IV. *cap. 2. vbi inquit / nus ordo orandi*

orandi & psallendi per omnem Hispaniam & Galliam conseruatur, unus modus in Missarum solemnibus, unus in vespertinis Officijs, quia vna Fide & vno Regno continemur, scilicet Christo; ergo Clericus, tollens ex suo Marte hanc vnitatem ab Ecclesia præscriptam, peccabit mortaliter, non venialiter.

Confirmatur primò, quia omnis lex conformis rectæ rationi obligat ad mortale transgressores: sed ordinatio facta à Pio V. de modo tenendo in recitandis Horis Canonicis, est conformis rectæ rationi; ergo. Patet Minor, quia recta ratio, vt in ceteris, sic multò magis petit vnitatem & conformitatem in colendo Deo, qui maximè cernitur in recitandis Horis: certum autem est, per leges humanas posse obligari hominum conscientias, etiam ad mortale peccatum, in ijs, quæ, etiam si ortum non habent à diuinis Litteris, sunt tamen illis conformia, & habent illa tria à nobis iam supra assignata.

Confirmatur secundò, quia contemptus Ecclesiæ in re graui semper est peccatum mortale; ergo etiam talis contemptus in re graui erit peccatum mortale: sed qui ex sua voluntate non vult seruare præceptum Papæ in recitandis Horis, virtute saltem intelligitur contemnere in re graui Ecclesiam; ergo peccat mortaliter. Sufficit enim contemptus implicitus & virtualis ad peccatum mortale inobediætiæ, si sit in re graui, sicut est in nostro casu, vt supra probatum est.

Probatur vltimò Conclusio, quia facillimè tolluntur fundamenta contrariæ sententiæ. Primum enim, in quo maximè Auctores secundæ sententiæ fundantur, illud videtur esse, Quia, inquit, non seruare talem or-

dinem & modum in recitandis Horis Canonicis, cum non sit contra aliquod præceptum, non esse nisi peccatum veniale. Quare, inquit, si quis vnum Officium pro alio dicat, modò illud, quod dicit, sit in Breuiario nouo Pij V. adimplere quidem præceptum diuino Officio dicendo; peccare tamen, quia inuertit ordinem, sed non mortaliter; quia de eo non extat præceptum, sed solum venialiter peccare.

Et quidem facillimè tolli hoc fundamentum, nemo est qui non videat. Nam si dicamus, vt verè dicimus, & patet ex dictis, extare iam tale præceptum de tali modo, quo quotidie recitandæ sunt Horæ Canonicae, certè fundamentum illud omnino ruit: & quod huiusmodi præceptum sit ad mortale, cum id iam ostensum esse existimemus, non est quòd idem repetamus.

Ad fundamentum verò Lessij, qui cum optimè animaduertisset, fundamentum iam ab alijs allatum nullius esse roboris, excogitauit aliud ex suo (quod tamen non tam re quam nomine à priore differre videtur, si rectè attendatur) respondemus, & illud nostræ non officere Conclusioni. Non solum enim à Pio V. in sua citata Constitutione præscribitur ipsa substantia diuini Officij, ab omnibus, quorum interest, recitandi; sed etiam præscribitur forma & modus quibus illud debet recitari, etiam si illud immediate & primò intenderit Papa, hoc verò secundariò: quia reuera primus animus Pontificis Pij V. fuit tollèdi causa varia Breuiariorum, vt ipse ait, genera, quæ passim circumferebantur; ita tamen, vt deinde simul præscribat, & nouum Breuiarium ab omnibus recitandum, & item modum & formam

formam in eo recitando obseruandam. Quare existimo ego, vt quis nunc peccaret mortaliter, vtendo vtitis per illam Bullam Breuarii; sic etiam peccaturum, & non vtendo nouis, & non seruando formam præscriptam in recitandis Horis diuinis. Hæc enim omnia, vt videre est in citata Constitutione, cadunt sub eodem præcepto, & eodem modo. Quod etiã aduertisse Paulum Squilantem loco vbi supra deprehendi, postquam iam ego scripsissem. Accedit, quod etiam hæc Lessij sententia ibidem, si quis diceret de Feria, cum dicendum esset de Sancto, & econtrã; etiamsi non peccaret contra substantiam diuini Officij, quia diceret aliquod Officium ex nouis à Papa approbatis; peccaret adhuc contra modum, quia non sequitur illum qui præscriptus est à Papa: quamquam in eo discordamus à Lessio, quia ipse ait, peccaturum illum sic recitantem venialiter, nos verò mortaliter. Quare fatetur Lessius illum peccaturum, quia transgreditur præceptum Papæ; Quia, inquit ipse, transgreditur rem quæ secundariò præcipitur. Nos verò asserimus, & patet ex dictis, illum peccaturum mortaliter; quia, etiamsi non seruando modum diuini Officij solùm cõtrafaciat rei secundariò præceptæ, adhuc tamen & hoc ipsum cadit sub præcepto Papæ, eadem omnino ratione, qua eiusdem met Officij substantia: & cum simus in materia graui, vt dictum est, non video quare dubitari debeat, quin id satis sit ad peccatum mortale, præsertim cum id sufficere ad peccatum mortale, ex alijs consimilibus colligere possimus. Nam si quis, retentis quæ sunt substantialia in aliquo Sacramento,

aut omitteret, aut inuenteret modum & formam in eo præscriptam, aut cõficiendo, aut administrando consultò, peccaret sine dubio mortaliter, vt communis habet sententia, etiamsi modus sit extra essentialia, vt sunt verba quæ coniunguntur formis Sacramentorum, Sacramenti verbi gratia Eucharistia, Confessionis, &c. Item si quis non deuotè neque attentè recitaret Officium diuinum, peccaret mortaliter, *ex Cap. Dolentes, de Celebr. Miss.* etiamsi solùm peccaret contra modum, vt post alios aduertit Ioan. Medina *Cod. de Oratione tract. 6. quæst. 15. §. Verum ad hæc.* Quare omnino concludendum videtur in re nostra, etiamsi modus & forma in recitandis Horis Canonicis secundariò præcipiantur in dicta Constitutione, quia tamen præcipiuntur tali modo, ac tali ratione, & res, quæ præcipitur, grauis est; videtur omnino dicendum, & modum & formam recitandi Horas cadere etiam sub præcepto, eodem modo quo cetera quæ in eadem Constitutione præcipiuntur. Et quia cetera sunt sub peccato mortali, vt esse contrarij Doctores concedere tenentur; eodem item modo, & forma, & modus, de quibus disputamus, erunt præcepta sub peccato tali. Et hæc factis, quoad fundamenta secundæ sententiæ.

Ad Auctores verò prioris sententiæ illud mihi omnino dicendum videtur; cum ipsi dixerint, transgressores Bullæ supradictæ peccaturos grauitèr, intelligendos esse, quod loquantur de transgressione mortali, non veniali; neque enim veniale propriè dicitur graue, sed leue.

Et hanc etiam existimo fuisse intentionem ceterorum Doct.orum, si qui

qui sint qui scripserint ante Bullam à Pio V. editam. Nam cum, vt dictum est, ius ipsum naturale præscribat conformitatem quamdam & vnionem psallendi in Ecclesia Dei; si quis faceret contra dictum præscriptum naturale, vel etiam rectam rationem, peccaret grauiter, id est, mortaliter: nam facere contra ius naturale seu rectam rationem in re graui, peccatum mortale est; & id est quod voluerunt Auctores illi, cum dicunt, Clericos mutantes & inuertentes ex sua voluntate diuinum Officium peccaturos grauiter, quia scilicet facerent contra ipsum dictamen rectæ rationis, quod est peccatum mortale.

Quare miror Azorium, aliàs sapientissimum virum, quod non satis consultò dixerit loco supra citato, contrariam sententiam esse communem. Nam certè his nostris temporibus video Scriptores hanc nostram amplexatos, maximè qui dictam Constitutionem maturiùs considerarunt, vt *Nauar. Tolet. Cosmas Phil. & Petrus de Aragona*, vt alios omittam: neque video qua ratione dici possit communior sententia illa, cui repugnent vel doctissimi viri, & Theologi, & Canonistæ, vt sunt quos citauimus supra.

Addo vnum, quod si Siluester, vir doctissimus, post editam Constitutionem Pij V. eiusdem Dominicane familie scripserit, mutasset sententiam sine dubio: nam, vt videre est apud illum, nullum aliud pro suo dicto affert fundamentum, nisi, quod modus, inquit, recitandi Officium diuinum non sit sub aliquo præcepto; vt propterea asseruerit, inuertere talem ordinem, non esse nisi peccatum veniale. Certè si iam de nouo scripserit, cum extero præceptum supra allatum,

sine dubio mutasset sententiam, neque allatum fundamentum attulisset, & cum saniori sententia sensisset, illum scilicet, qui sic recitaret Officium diuinum contra modum & formam à Pio V. præscriptam, peccaturum mortaliter, si consultò, si pluries id faceret; quia scilicet faceret contra talem Pontificiam Constitutionem.

Tandem, quod Lectorem admonitum volo, illud est, post hanc à me scriptam & confectam Dubitationem, cum illam de more castigationi familiari Admod. Reuerendi Patris Homoboni de Homobonis, ex Pœnitentijs in Metropolitana Ecclesia sancti Petri Bononiæ, quem semper obseruari, tum præcipuè in his satis consummatum virum, subiecissem, amico animo accomodasse mihi perlegendum libellum inscriptum, *De obligat. Cleric.* conscriptum verò à Paulo Squillante, in quo erat hic casus de quo disputaui, cui libenter morem gerens acquieui. Accepi libellum, atque ex animo perlegia, multa in eo, quæ (sit Deus testis) ex meo Marte me adinuenisse iactabam, vt bono amico Homobono subridens dixerim: Tandem fateri necesse est, verissimum illud esse, quod in ore omnium est, nihil iam dici, quod non priùs fuerit dictum. Hac eo dixi, humanissime Lector, quod si citatus Auctor ad manus deueniret, ne existimes velim, me ab illo aliqua furatum esse quæ iam scripserim; quamquam & maximè gauisus sum, me in hac difficultate pertractanda non noua excogitasse, vt alij (quos bonos volo) vix sunt dixisse, sed, quæ alijs & vera & rationi conformia existimata sint, scripserit.